

1337 omnium dicitur , subito incursu concremavit . Cæterum Me-
strani aliquanto postea nova oppugnatione territi , deditio-
nem fecerunt . Admotis inde Taurisium castris , duas urbis
portas , noctu injecto igni , Venetus concremavit . Tantus no-
cturna illa trepidatione metus cibibus injectus est , ut multi
mortales noctis umbra freti , per adversa ab hoste loca urbe
egressi fugam moliti sint : ex iis nonnulli amenti cursu in
hostes delati , capti dicuntur : in quibus Clara Caminensis ,
fœmina illustris , servili habitu oppressa est . A majore oppu-
gnatione est temperatum : nescio an quia parum confiderent ,
oppidum capi posse , ignari videlicet trepidationis civium ac
consternationis illius noctis , seu potius ad Servalum recipien-
dum properatum est ; quod oppidum per eos dies in Veneto-
rum fidem venisse quidam tradunt . Mastinus interea & Al-
bertus fratres , præter tot oppida intra paucos dies amissa ,
cognita sociorum defectione , a quibus jam aperte in se parari
bellum audiebant (nam fama erat , Luchinum Vicecomi-
tem , qui ex propinqui sui Accionis morte Mediolani Princi-
patum nuper adeptus fuerat , & Philippum Gonzagam aut
jam in se movisse , aut certe paulo post moturos) tantis ma-
lis circumventi , haud sane illis constare poterat , quæ quibus
consilia præferrent : quibus potissimum locis hostium conati-
bus se objicerent : quibusve præsidio urbibus esse vellent .
Sed in tanta fluctuatione rerum quum parum liqueret quid af-
flictis rebus expediret , Mastinus Patavio repente profectus
cum maxima parte copiarum Alberto ad urbis præsidium
relicto , Veronam abiit . Marsilius Rubrius interea , Athesi
superato , per Polesinum cum copiis quas a fratre acceperat ,
Mantuam venit : hicque junctis copiis Philippus Gonzaga &
Luchinus Vicecomes de summa rei cum eo locuti , belli par-
tes inter se comparant : placuitque imprimis Veronam acri-
bello invadere . Motisque repente signis , hostium fines in-
gressi , omnia circa urbem fœda populatione complent : inde
cum tumultu ad urbem obsidendum versi , expediunt quæ ad
oppugnationem necessaria videbantur . Carolus interea , Joan-
nis Boemiæ Regis filius , cum magna barbarorum manu circa
Feltrum confedisse dicebatur : quo accidit , ut uno tempore